

Universitätsbibliothek Wuppertal

Index in Horatium

Zangemeister, Karl

Berolini, [1869]

Nachwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-5260](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-5260)

CAROLI ZANGEMEISTERI

EPILOGUS.

Pauca mihi hoc loco et de nova hac Horatii Benteleiani editione et de Indice Horatiano a me adiecto dicenda sunt. Horatius a Richardo Benteleio editus est Cantabrigiae a. 1711 duobus voluminibus; quorum prius, quo poetae verba sine commentario, subscriptis tamen lectionibus vulgatis, exhibentur, iam anno 1708 prelum reliquisse inde intellegitur, quod tabula aere expressa, quae titulum praecedit, inscripta est hoc modo: Q. HORATIUS FLACCUS *ex Recensione* R. Bentelei MDCCVIII.; ut hoc volumen eo anno seorsum prodire Benteleius voluisse videatur (cf. praef. ed. 1711 p. XXI et XXIII). Alterius voluminis titulus est huiusmodi: IN Q. HORATIUM FLACCUM NOTAE & EMENDATIONES RICHARDI BENTLEII S. T. P. REGIAE MAJESTATI A SACRIS DOMESTICIS, BIBLIOTHECARUM REGIARUM CUSTODIS, ARCHIDIACONI ELIENSIS, ET COLLEGIO S. TRINITATIS APUD CANTABRIGIENSES PRAELECTI. CANTABRIGIAE, MDCCXI. Est autem ea editio una solaque, quam Benteleius ipse curavit. Nam ad Amstelodamensem anni 1713, quae ab ea proxima est tempore, bibliopola quidem Cantabrigiensis tabulam quam memoravi aheneam, auctor ipse nihil contulit; conlaturus fortasse paucula illa erat, quae in schedis Musei Britannici enotavit (v. ed. nostrae vol. II p. 170). Quae cum ita sint, cumque idem de Amstelodamensi anni 1728 statuendum sit, novam hanc exprimendam curavi ad ipsam principem, neque ab ea discessi nisi in his quae secuntur rebus. Ac primum quidem superiorem nostram anni 1826, ad cuius formam hanc quoque excusam voluit librarius, secutus litteris maiusculis parcius usus sum et *j* consonantem non admisi nisi in talibus locis, qualem habes velut in Adnotatis ad Serm. II, 8, 1. Deinde res levissimas, quas invito Benteleio excidisse certissimum esse mihi videretur, correxi,¹⁾ ut

1) Subieci hoc loco omnia, quae in adnotationibus Benteleianis Carm. libri primi tacite correxi, eisque potiora quaedam ex ceteris libris adiunxi. In Bentelei igitur editione habetur: vol. I p. 3 not. lin. 15: *puer, Iam nec*

correxerant plerasque iam editiones superiores. Tum, ut lectorum commoditati consulere, omnia omnium scriptorum a Bentleio laudatorum exempla, quorum ad quattuor fere milia ascendit numerus, requisivi, operamque dedi, ne eorum ullum vel false indicatum vel nimis breviter significatum esset. In quibus locis numeros aliquot tacite correxi;¹⁾ eos autem, quos addidi, his uncinis [] inclusi excepta ingenti eorum multitudine, quae ad ipsius Horatii versus pertinent. Sed ipsa verba eorum locorum plane ita ut apud Bentleium exstant exhibui neque in iis praeter leviculas quasdam res, quas typographo editionis Cantabrigiensis deberi mihi constaret, quicquam tacite correxi.²⁾ Si vero quem locum in ea ipsa re, cuius rei gratia adferretur, codicibus aliter atque a Bentleio exhiberetur traditum esse repperissem, ea (sunt autem rarissima) notare in margine e re esse videbatur.

In Lyricorum Graecorum fragmentis adferendis adhibui Bergkii editionem alteram a. 1853; Seneca philosopho usus sum edito a Friderico Haase a. 1852 et 1853.

In Praefationis p. XXIV (ed. 1711) et in Indicibus Bentleianis (vol. II p. 174—194) paginarum numeros, quibus ille usus est, ad Horatii versus revocavi.

Quaecumque his uncis [] inclusa sunt, a me addita esse scito, exceptis his locis vol. I p. XXV metro 19. et (ubi eos uncis Bentleii ipsius esse iam monui) vol. II p. 153 et p. 157. — Vol. I p. 228 not. lin. 16 et 17 et p. 428 lin. 8 a fine in Bentleii editione non hoc < >, sed hoc [] signum habetur.

— p. 5 lin. 6 a fine: Persium III, 15. — p. 6 lin. 13 a fine: I, 415. — ibid. 11 a fine: 520. — p. 8 lin. 8 a fine: et v. 37. — p. 10 lin. 16 a fine: 10. — p. 11 lin. 3: 537. — ibid. lin. 5: 339. — p. 12 lin. 5 a fine: 5. — p. 29 lin. ult.: Homerus — p. 38 lin. 7: *carmine* — p. 41 lin. 24 a fine: *malus tua* — ibid. p. 14 a fine: de una — p. 46 lin. 3: *potuit* — p. 48 lin. 9: *in una* — p. 54 lin. 13: LXIII. — p. 58 lin. 12 a fine: I, 2. — p. 59 lin. 6 a fine: I, 6. — p. 60 lin. 27 a fine: *producitur*. — p. 72 lin. 25: III, 13. — ibid. lin. 10 a fine: VII, 7. — p. 73 lin. 7 a fine: 18. — p. 75 lin. 13: 58. — ibid. lin. 16: 32. (pro 40.) — ibid. lin. 18: 69. (pro 71.) — ibid. lin. 31: Virgil. v. 500. — p. 78 lin. 4 a fine: VI, 6, 8. — p. 80 lin. 13: *Secundum* — p. 84, 13: II, 5. (pro II, 3, 8.) — ibid. lin. 14: III, 2. — p. 85 lin. 5: cui (pro quibus) — ibid. lin. 12: II, 2. — p. 89 lin. 16: III, 85. — p. 156 lin. 13: *Ante* (pro *Aulo*) — p. 157 lin. 8: T. (pro Ti.) — p. 169 lin. 24: *miras* — p. 171 lin. 3: *proiectos* — p. 187 lin. 14 a fine: *potuit* Bentl. omisit — p. 221 lin. ult.: *non* (pro *nec*) — p. 238 lin. 17: *factum* — p. 245 lin. 10: *Functus* — p. 254 lin. 5 a fine: septingentesimo et in *Erratis*: M & DCC (pro decimo et septimo) — p. 282 lin. 11 a fine: *ponderes*. — p. 288, 1 *Sulfuream* — p. 344 lin. 8 a fine: *ferunt* — p. 438, 8 a fine verba „Ceterum—locutus est.“ in fine sequentis adnot. posuit Bentl. — p. 461 lin. 23 a fine: *humo* — Vol. II p. 80 lin. 27 a fine: *fata* — p. 85 lin. 5 a fine: *annos*.

2) Non correxi veluti haec quae leguntur vol. I p. 8 lin. 8 a fine (colle) — p. 9 lin. 10 a fine (*perleget ipse*) — p. 71 lin. 12 a fine (*ceterisque*).

Vol. II p. 170—173 exhibui Bentleii Curas Novissimas ex eius schedis Londinensibus denuo accuratissime descriptas.

Denique qui editioni anni 1826 ex Amstelodamensi a. 1713 additus erat Index Horatianus Danielis Aveman (qui prodiit Brunsvigae 1667), ab Isaaco Verburgio quibusdam locis auctus, indignus mihi esse visus est, qui a me repeteretur, quippe quo multa perperam indicata, multo plura, quae abesse non deberent, omissa esse intellexissem. Nec vero ullum alium exstare novi, qui in eius locum suffici recte posset. Nam Doeringianus (ed. a. 1829), qui solus non pendet ex Avemaniano, incuria vel socordia tanta confectus est, ut multis vocabulis omnino careat (velut his: *concludere, creta, criminosus, dedicare, frondere, haud, mulcere*), pronominum autem particularumque fere omnium exempla de industria omiserit sexcentiesque apud Horatium reperiri affirmet velut talia: *ast, at*, pronomen *is* casibus omnibus. — Ritterus autem quem edidit a. 1857 indicem ex Verburgiano descripsit, sed nelegenter, ita ut multa vocabula plane excidere passus sit (velut *caulis, caupo, caupona, caussa, cautus, civilis, concludere, debilitare*); ipse vero addidit pauca, nec sine fallacia, utpote qui pronominum particularumque exempla, quorum Verburgius magnam partem se omisisse ingenue fatetur, omnia se exhibere perperam simulet. — Quare novum mihi indicem conficiendum concinnandumque esse intellexi, quo omnes nullo excepto loci comprehenderentur et exceptis pronominibus particulisque quibusdam ubique sententiae quibus vocabula inclusa sunt adscriberentur. Is autem cum Bentleii Horatio adiungendus esset, ad hanc ipsam editionem conformari debuit; et ita conformatus est, ut poetae verba plane sic, uti a Bentleio constituta sunt, exhibeantur, neque tamen omissae sed uncis [] additis insertae sint et codicum lectiones a Bentleio reiectae vel silentio dissimulae vel ignoratae et hominum doctorum coniecturae, quae memoratu dignae mihi esse videantur.

In scribendis vocabulis discessi a Bentleio eo quod accusativos plurales non in *is*, sed in *es* terminatos dedi; in interpungendis vocabulis tacite non discessi nisi in his versibus Carm. I, 25, 12 et Epist. I, 7, 56, ubi Gesnerum et Lachmannum secutus sum; debebam fortasse etiam aliis in locis: verum satius erat, suspensa manu in his rebus versari, praesertim cum indicis sit indicare vocabula, non res diiudicare. — Ergo his utere, laborique meo benigno animo fave.

Scribebam Gothae Id. Dec. a. 1869.

Berolini apud Weidmannos (I. Reimer).

Lipsiae typis J. B. Hirschfeld.